

Taubmann. axiomatics

approbatum. fidel. reprobari non potest. 148. 13

quod fidel. placuit. amplius dissimile non debet. p. 29. num. 7.

L. . 9.  
M. . 6 10



1255

45

DISPUTATIO JURIDICA  
*De*  
**DONATIONIBUS  
INTER VIVOS,**

*Quam*  
**Divinâ gratiâ adspirante;**  
Magnifico Amplissimoq; JCtorum Ordine,  
in almâ Leucoreâ approbante,

*Sub  
UMBONE*  
**VIRI Nobilis, Consuliissimi  
Excellentissimi**

**DN. HENRICI COSELII,**  
J.U.D. Prof. Publ. Curiæ Electoralis, Scabinatus &  
Facultatis Juridicæ Assessoris gravissimi, Præceptoris & Promotoris  
sui perpetue honoris observantiaq; cultu suspiciendi,


*Publicæ, placideq; ventilationi subjicit*

**LUCAS Zeltsch/**

Mega-Tschirnens. Sil..


**In Auditorio JCtorum**

ad diem Januar.

WITTEBERGÆ

Excudebat Johannes Röhnerus Acad. Typogr.

Anno M DC L.





DEO Donatore omnium bonorum  
largifluo!

### PRÆLOQUIUM.

**V**ulgata Juris circumfertur Regula:  
Non omne quod licet honestum est l. 144 ff. de R. I.  
Etsi enim quis liberam rerum suarum administrationem habeat, minimè tamen cum iisdem  
prolubitu suo statim facere posse, existimandus  
est, si honestatis subsit ratio; quæ multifariam considerari  
potest tūm intuitu Personarum, tūm Rerum, tūm ipsarum  
Solennitatum. Quæ omnia si ubivis, certè in Donationibus  
probè dispicienda veniunt, ubi sèpius aut incongruæ perso-  
næ, aut incongrua res, aut incongruo modo donatur: quæ  
omnia honesta minus esse, nemo facilè inficiabitur, quamvis  
in se cōsideratae donationes sint licitæ & à nullo unquam im-  
pediri possint. De Donationibus igitur jam ulterioris aliquid  
dicturi sumus. Ad quem actum, absq; ulteriori verborum  
circitu in nomine Domini nostri JESU CHRISTI progre-  
dimur l. 2. pr. C de off. Præf. Præt. Afr.

Th. I.

**D**onatio est Contractus Juris gentium, consensu  
utriusq; donantis scil. & donatarii constans, per quem  
aliquid donamus.

Donationem *Contractum* esse dicimus exinde, quia ei  
competit Contractus definitio, quæ est, quòd dicatur Con-  
ventio obligatoria, habens speciale nomen, aut eo deficien-  
te causam. Quamvis igitur Donatio speciale nomen non  
habeat, nec ideo Contractibus nominatis sit accensenda.  
*Hillig. in Don. lib. 12. c. 11. lit. n.* habet tamen causam, nim. datio-

A 2 nem

nem vel factum ex quo ejusmodi Contractus vestitur. Nec obstat quod à plerisq; Donatio definiatur pactum legitimum. Hoc enim sub Contractus nomine venit, quod latissimè, in jure nostro pater. Et ubiq; Donatio Contractus dicitur *ult in fin. C. de pactis. l. 17. C. de Fide Instrument. l. 8. pr. C. de prescript. 30. annor. videlicet Excell. Dn. Præsidem in enodatione Leg. XXIII. Tit. Pande&t. postrem.*

*Jurisgentium.* Scil. quoad originem, quia apud omnes penè gentes observatur Bachov. ad. §. 1. f. b. t. Hillig. in Donell. lib. 5. c. 2. lit. B. quoad formam autem & solennitates accedentes donatio Juris Civilis esse putatur Schn. ad pr. f. de don.

*Consensu utriusq; constans.* Ratio est: quia quemadmodum neq; ignorans, neq; invitus quispiam donat l. 10. C. de don. sic neq; invito, neq; nolenti donatur aut acquiritur l. 19. §. 2. ff. de donat. Arism. in Tepat. Tit. 495. c. 5.

## Th. II.

Donatio rectius dividitur in propriam & impro priam; hæc rursus, in causalem & conditionalem.

Fundatur hæc divisio in l. 1. pr. ff. de don. Wesemb. in w. n. 3. b. t. Godofr. in motis ad Schn. pr. b. t. Propria igitur Donatio, quæ & simplex dicitur l. 20. §. 3 ff. famil. hercise. & de quâ h. l. agimus, est actus, per quem gratuitò, nullo jure cogente donum in aliquem transferimus sine animo revocandi d. l. 1. pr. & l. 29. ff. de don. quæ etiam veræ & genuinæ donationis natura est: & in dubio semper præsumitur Arism. Tepat. tit. 495. c. 1. Ab hac autem longè distat impropria, quæ sit vel ob causam vel sub conditione.

*Ob causam* Donatio contrahitur ut aliquid fiat, vel non fiat. Cujus generis sunt: 1. Remuneratoria, quæ ob insignia, quæ præcesserunt, beneficia & servitia præstatur. L. 27. ff. de don. Schn. ad pr. f. b. t. & ibid. Godofr. Ut autem Remuneratoria Donatio censatur, notandum obiter quod necesse sit porrò in instrumento Donationis nominatim exprimi servitia, beneficia. Schneid. de don. inter vivos n. 34. quæ etiam non debent esse modica sed æquipollentia remunerationi Schn.

d. l.

d.l.n.35.2. Reciproca donatio. Nam & hæc sit ob causam aliquam, eâ spe & animo, ut tantum recipiat Donator, quantum donat Gail lib.2. obs. 40.n.7. 3. Donatio propter nuptias, quam sponsus facit sponsæ; cui tacita causa perpetuò quasi inest, ut nuptiæ sequantur Hunn. ad §.3. 3. de don. Unde his non secutis, rescindi potest, modò accipientis culpâ non impeditæ fuerint nuptiæ l.15. in fin. C. de don. ante nupt. Hilliger. in Don. lib.

14. c. 23.

Sub Conditione sit Donatio, in eventum ut tunc accipientis fiat, cum aliquid fuerit secutum, veluti cum quis dicat, si intra annum nupseris, prædium tibi dare spondeo. Et alias vid t. tit. C. de dom. quæ sub modo & condit. &c. Huc etiam referti debent Donationes mortis causa, quæ omnes sub se habent conditionem. Sed nos his donationum speciebus missis, dicti tantum sumus in seqq. ut jam suprà etiam innuimus de simplici donatione, quæ vocatur Donatio inter vivos.

### Th. III.

Donare possunt inter vivos omnes quibus & contrahere & liberè res suas administrare licet.

Cum quilibet rerum suarum optimus sit Moderator & arbiter l.21. C. mandat. vel contrà, eas etiam, ut voluerit, alienare & donare poterit, nisi forsan à speciali Juris dispositio ne ipsi fuerit inhibitum. Inhibetur autem multis tūm ratione ætatis, tūm sexus, tūm conditionis.

Ratione ætatis prohibentur donare: 1. Infans & Pupillus, propterea, quod fragile sit ipsorum consilium & judicium, fragilis consensus, fragilis, imò prorsus nulla rerum administratio l.17. §. 1 ff. de jurejur. 2. Minor, praesertim res immobiles quas neq; cum decreto Judicis donare potest l.3. C. si major factus alienationem factam &c. Treutl. vol. 2. disp. 19. th. 3. lit. A. nisi juramentum accesserit. Auth. Sacra menta puberum C. si adversus vendit. & ita in Camerâ Imperiali observari tradit Gail.lib.2.obs.41.n.4. Excipitur tamen ratione ætatis senex, modò sit vegeti judicii. Is enim ut testamentum condere

l.3.pr.C. qui testam. facere &c. ita & donare potest l.16.C.b.t.  
Harp.ad S.2.3.b.t.n.7.

Ratione sexus prohibetur donare uxori, scil. res dotaes,  
etiamsi maritus consenserit l.21.C.b.t.5 ff. & C. de fundo dot.  
secus quoad paraphernales l.6.C. de revoc. don. de Jur. Sax. fœ-  
minæ indistinctè sine consensu mariti vel alterius Curatoris  
peculiariter adhoc constituti nil quicquam donare possunt  
intervivos Wesemb.in 7 b.l.n 4. Georg. Schultz. in Syn J. ad Tit.  
quibus alienare &c. l.D. Mortis tamen causa possunt. Schultz.  
dict. loc.

Ratione status & conditionis prohibetur 1. Servus: quia  
nihil habet proprium, sed quicquid acquirit Domino acqui-  
rit pr. 7 per quas personas &c. Imò quamvis liberam peculii ad-  
ministrationem à Domino concessam habeat, jus tamen do-  
nandi minimè habet l.28.S.2 ff. de pæctis. Aliter hodie, ubi ser-  
vitus ejusmodi sublata est, & cum res proprias habeant servi  
nostrí, per consequens etiam donare possunt Harp. b.l.n. 16.  
2. Filius familiæ ratione P.P. Nam & hic omne quod acquirit  
patri acquirit pr. 7 per quas personas &c. unde donare quoque  
nihil potest l.7 ff. b.t. Limitatur tamen 1. si justa tatione me-  
tus aliquid donet; d.l.7.S.1. 2. si consentiente Patre donatio-  
nem instituat l.2. pr ff. b.t. 3. si in dignitate aliqua sit constitu-  
tus d.l.7.S.3 ff. b.t. 4. si Castrense vel quasi castrense peculum  
habeat, d.l.7.S. fin. Donare quoq; non potest 3. Maleficus, ul-  
timò supplicio afficiendus, qui scil. ejusmodi crimen com-  
misit ex quo publicatio bonorum sequitur, quia cum ipsius  
bona sint confiscata, de re aliena donare videretur, quod pro-  
hibitū l.9.S. fin. ff. b.t. 4. Mutus & surdus simul; secus si quis ca-  
su aliquo fortuito factus fuerit vel mutus tantum, vel surdus;  
quia per signa consentire potest l.33.S.2 ff. b.t. Harp. b.l.n 6. 5.  
Mente captus & furiosus, ab defectum intellectus l.23. in fin.  
ff. de don. 6. Prodigus l.6. ff. de V.O. Sed si quid donaverit ante-  
quam ipsi administratio bonorum fuerit à Judice interdicta,  
subsistetne donatio? Aff. quia ut quis habeatur prodigus, ne-  
cessariò sententia Judicis declaratoria requiritur, ideoq; te-  
net quod ante interdictionem donavit Gail.2. obf. 51. n.2. Carpz.

Jurispr.

*Jurispr. F. part. 2. const. 15. def. 37. 7. Invalidus s. constitutus in adversa valetudine de J. Sax. l. i. Landrecht art. 52. Verum illud de hodiernâ consuetudine non observari recte tradit Schultz. in Syn. J. b. t. L. B.*

#### Th. IV.

Quemadmodum igitur supra dicto modo donare omnes possunt: sic ē contrario omnibus donari potest, nisi specialiter in jure prohibiti inveniantur.

Valet itaq; Donatio facta indiscriminatim tām mascu-  
lo quām fœminæ, tām Patri - quām Filiofam., tām puberi,  
quām impuberi, adeò ut infanti etiam recte donari possit,  
modò servus publicus, hodiè Notarius intervenerit, qui no-  
mine ipsius accipiat donationem l. 26. C. de don. Arism. Tepat.  
Tit. 495. c. 18. Item subsistit Donatio collata in ignotum & ex-  
traneum, certum tamen l. 29 C. b. t. Nec obstat, sive Donata-  
rius fuerit præsens sive absens l. 17 ff. b. t. sed ut absens capiat  
vel per epistolam l. 13. C. b. t. vel per interpositam personam  
l. 4 ff. b. t. quæ speciali mandato ad id instrui debet, quo non  
exhibito, donatio minimè confertur. Carpzov. I. F. Part. 2.  
Const 12. def 20.

#### Th. V.

Donatio Patris in filium collata, regulariter est  
invalida.

Ratio ista est, quia Pater & filius una & eadem persona  
esse censentur l. fin. C. de impub. & aliis subst. Si igitur Pater do-  
naret filio, sibi ipsi donaret. Neminem autem sibi ipsi do-  
nare posse text. est in l. 56. §. 1. ff. de Fidejuss. & mandat. Arum.  
disp. 6: th. 13. Et ista procedunt, quamdiu Filius fam. in po-  
testate patris est constitutus, secus i. si fuerit emancipatus, cui  
donare potest Pater, quia cessat ratio prohibitiva, nimirum P:P.  
& iecircò quæ ab initio non valuit, emancipatione confir-  
matur Donatio, traditione modò reverà interveniente.  
Gail. 2. obs. 37. n. 14. Arism. Tep. Tit. 496. c. 10. Quid si autem  
Pater adimere vellet, sed filii reddere recusarent? Resp. ex  
l. 17.

l.17. C. de don. Patrem manere Dominum. Nam cum in potestate esset Filius, non constitit Donatio, cum vero emancipetur, noluit Pater donare. Igitur primò obstat Facultas, postea voluntas. At invitus nemo donat l.10. C.b.t. 2. Valet res donata & tradita à Patre filio in potestate adhuc constituto, si eadem postmodum morte patris naturali fuerit corroborata l. 25. C. de don. inter vir. & ux. Harpr. b.l. n. 45. Eo enim ipso dum Pater adimere noluit cùm tamen potuerit, donationem tacendo confirmasse præsumitur, ut in speciali casu de filia dicitur in l.31. §.2. ff. h.t. 3. Nec revocatur donatio facta à Patre filio ob singularia & excellentia benè merita, ut est communis Dd. opinio Schneid. b.l.n.71 Treutl. vol. 2. disp. 19. tb 3. lit. E. Arism. Tepat. Tit. 496. c. 10. quia non est propriè donatio sed quædam accepti beneficii compensatio De meritis tamen constare debet, eaque æquivalere debent. rei donatae Gail. 2. obs. 38. n. 6. Hillig. in Don. lib 9. c. 5. lit. D. 4. Item favore matrimonii facta Donatio libb. valeat: sit enim ob causam jure naturali & civili approbatam, ut nim. eò citius ad nuptias invitentur, cùm alias non tam facile invenient, cum quibus conjungerentur l.64. ff. de condit. & demonstrat. Harp. b.l.n.41. 5. Juramento firmata donatio servanda est, modò non sit immensa quâ cæteri filii defraudentur legitimâ jure naturali debitâ: quia quoties juramentum servari potest absque dispendio & interitu salutis æternæ, non solum in foro Ecclesiastico sed & seculari servandum est c. cum contingat x. de jurejur. & ejusmodi donationem juratam in Camera etiam Imperiali approbatam esse tradit Gail. 2. obs 38. num. 7. Plures donationes quæ à Patre filio factæ valeant. vid. Schneid. ad §.2 I.b.t. n.67. seqq. Verum, quid hic de matre dicendum, potestne ista quoque validè donare filio? Aff. l.19. C. de don. inter Vir. & ux. tam quoad proprietatem quam usumfr. si nim. hoc posterius expressè fuerit dictum Auth. excipitur C. de bonis quæ libb. & c. quamvis de Jure veteri secus fuerit Schneid. d.l. n.78.

Thes.

1267.

### Th. VI.

Quæcunq; Pater donavit filio studiorum causa  
valent, nec unquam post mortem ipsius in divisionem  
conferuntur; aliter se in dote habet, quæ regulariter  
conferenda.

Etenim Pater pietate ductus filio subministrare sumtus  
intelligitur l.50 ff famil hercisc. Quæ pietas tantò magis exin-  
de liquet, quod dum Pater mittit Filium in Academiam, ibi-  
demque eum vult bonas addiscere literas, censeatur etiam  
suppeditare media, sine quibus illas assequi non valeat: qui n.  
vult consequens vult etiam, antecedens. Ea verò quæ Pa-  
ter pietate ductus filio studiorum gratia donat, fas non est  
in legitimam computari. Textus manifestus in d l 50 ff. fa-  
mil. hercisc. & latius vid. Schn. ad §. 1. f. b. t. n. 75 Harpr. b. l n. 55.  
seqq. Limitatur tamen, ut ea quæ pater donavit filio studio-  
rum causa, in collationem veniant. 1. Si Pater credendi a-  
nimo sumtus suppeditaverit d l 50 ff famil. hercisc. 2. Si pecu-  
nia missa, per filium consumta esset in ludos, Amasias, aut a-  
lios nefarios usus, per ea quæ tradit Schn. & Harpr. d l num 114.  
3. Nec tum Pater animo donandi sumtus misse præsumi-  
tur, si forsitan filius bona aliunde quæsita habuerit quæ Pater  
administrat l. fin. ff de hered. petit. Dotem, quod attinet, regu-  
lariter ista in divisionem paternorum bonorum conferenda  
est l. 12. C. de Collat. Sed & hic distinctione opus est inter dotem  
Adventitiam & Profectitiam, ita ut quæ de Collatione dixi-  
mus, intelligantur de Profectitia, non Adventitia l. fin. C. d. t.  
Item limitatur nisi forsitan Pater dotem conferre testamento  
expressè prohibuisset Auth. ex testamento C. d. t. Ast, an Filia  
vestes quoq; & res pretiosas quas accepit à Patre nuptiarum  
tempore in Legitimam computare debebit? Aff. vid. Gail. 2.  
obs. gi. num 5.

### Th. VII.

Non subsistit Donatio inter virum & uxorem fa-  
cta, præprimis constante matrimonio.

B

Latius

Latius id patet ex l.i. & t.t ff. & C. de don. inter Vir. & Uxor.  
 Ratio ista additur in d. l.i. ne nimia largitatis profusione  
 Conjuges se invicem spolientur. Cui accedit & illa ne amor  
 Conjugalis pretio videatur conciliari. *Wesemb.* in π. de don. in-  
 ter vir. & uxor. n. i. *Treutl.* vol. 2. disp. 19. tb. 4. lit. A. Cessantibus  
autem rationibus cessat quoq; ipsa Lex; idcirco & h. l. quan-  
 doq; donatio inter vir. & uxor sustinetur & quidem i. si do-  
 nans non factus fuerit pauperior. *Ludwell.* ad Inst. disp. 6. tb. 10.  
 Qualis quidem factus minimè censetur, veluti si maritus do-  
 naverit aliquid uxori ad emtionem rei familiaris l. 7. §. 7 ff. de  
 don. inter vir. & uxor. vel ad sepulturam l. 5. §. 8 ff. d.t. vel ad ma-  
 numisionem servorum l. 7. §. 8 ff. b.t. vel munditiem d. l. 7. §. 1.  
 ff. b.t. sed quid dejocalibus germ. *Frauenzirk* sentiendum, qua-  
 lia interdum mariti gratiam facientes uxori, donant, subsi-  
 stentè ipsorum donatio, ita ut morte mariti ab heredibus  
non impugnetur vid. *Gail.* 2. obs. 91. 2. Valet etiam donatio in-  
ter Vir. & Ux. si sit Reciproca vel Remuneratoria l. 32. §. 14. l. 7.  
 §. 2. ff de don. inter Vir. & Ux. *Mynscent.* 2. obs. 33. n. 6. 3. Si confe-  
ratur in casum quo Conjuges esse desinunt, veluti in casum  
mortis l. 9. § fin. ff. d.t. *Arism.* *Tepat.* Tit. 500. c. II. 4. Quemadmo-  
dum juramento firmata valet donatio facta à Patre filio, sic à  
Conjuge Conjugi, per ea quæ in Thes. 5. sunt tradita *Treutl.*  
vol. 2. disp. 19 tb. 4. L.c. *Ludwell.* disp. 6. tb. 10. *De J. Sax.* *Uxor de bo-*  
*nis suis marito aliquid donatura* Magistratum adire debet  
 qui Curatorem ipsi ad hunc actum constituat, quo consti-  
 tuto tunc demum uxor validè donat. *Schn.* ad §. 2. f. b.t. n. 64.

### Th. VIII.

Donari possunt res omnes quæ sunt in commer-  
cio hominum, & juri nostro subjacent.

Non excipiuntur itaq; res sive fuerint mobiles s. immo-  
 biles, sive corporales s. incorporales. Nam nomina etiā  
 & obligationes ut legari l. 59. ff. de Leg. 3. sic donari possunt l. 2.  
 C. de don & donato Instrumento, res ipsa donari videtur l. 1.  
 C. h. r. *Hilig in Don.* lib. 5. c. 9. L. E. quia nulla aliàs esset Instru-  
 menti utilitas. Item donari possunt res tām præsentes quam  
 futuræ.

futuræ, modò earum existentia speretur, ut sunt fructus na-  
scituri n. fundo, quemadmodum & stipulari possunt §. i. f. de  
inutil. stipul. sed an res aliena donari potest? Resp. quod non.  
Nemo enim de re aliena potest esse liberalis. Itaq; res do-  
nanda debet esse Donatoris propria l. 9. §. fin. ff. b. t. Wesemb. in  
w. b. l. n. 7. quod tamen eatenus verum est, ut Dominio vero ea  
donatio non præjudicet. alijas potest quis bonâ fide rem a-  
lienam pro suâ donare, ita ut usucapiendi conditio transfe-  
ratur t. t. ff. pro donato. Quod si autem quis rem aliquam do-  
nasset eam tamen non haberet, vel haberet quidem sed non  
tantum, quantum promisit, q. quid eo casu fieri debeat? Et  
æstimationem istius rei præstandam esse dicimus per l. 35. §. i.  
C. b. t. De rebus sacris, sanctis, religiosis &c. quid sentien-  
dum, cum hæ dominio nostro exemptæ sint, cuivis facile pate-  
bit. Quin, quod nec feudum, nisi forsitan cum consensu  
Domini, donari possit, constat ex c. un. §. i. qualiter olim pote-  
rat Feudum alienari 2. Feud. 9. Myns cent. 6. obs. 30. De J. Sax. circa  
bona immobilia avita, paternaq; vulgo Stamgütter hoc ob-  
servandum, quod ea sine consensu heredum, puta descendenti-  
um, extraneo donari minimè possint. Novell. Elect. Aug. p. 2.  
Const. 12 §. Derwegen. Schulte in Syn. Inst. b. t. lit. 5.

## Th. IX.

Donatio omnium bonorum præsentium & fu-  
torum de modernâ observantiâ est invalida.

Anxiè hinc inde quæritur an Donatio omnium bono-  
rum præsentium & futurorum valeat. De qua quæstione  
adeò Dd. inter se dissentiunt, ut verè dici possit. quot capita,  
tot sensus. Et certè si apices juris sequi debeamus dicen-  
dum nobis erit quod ejusmodi donatio valeat. ex l. 8. C. de  
revoc. don. l. 35. §. 4. C. de don. l. 5. C. de inoffic. don. Non obstantibus  
iis quæ objiciuntur scil. talem donationem auferre jus te-  
standi, inducere votum captandæ mortis, homines exauri-  
re suis facultatibus & quæ ejusmodi sunt alia, ad quæ latissi-  
mè respondent Dd. pasim. vid. Hunn. variar. resol. tr. 4. quest. 7.  
Paul. Berens. in Dissert. Academ. disp 5 them 2. th 2 Harpr. ad. §. 2. f.

B 2

b. t.

b.r.n.116. Arum exerc. Justin. 6 th. 15 Ungep. exerc. 7. q. 5. Verūmut-  
ut hæc quæstio in puncto juris defendi possit, secus tamen se-  
se habet hodie, ubi donatio talis facile non admittitur. Et  
hoc quidem ad evitandas lites, quibus indies replerentur ju-  
dicia: imò ad avertenda multa homicidia. Quandoqui-  
dem qui se successione bonorum spoliari videret, nefanda  
quælibet patraturus esset, & quod jure consequi non posset,  
facto tentaret, & alium, quò rāntò melius bonorum potire-  
tur, occideret. Reipubl. autem interest civitarem reple-  
tam esse civibus text. int. 1. ff. solut. matrim. Et de tali observan-  
tia testatur quoq; nobilissimus Carpz. f. F part. 2. Const. 12. def.  
24. Valer tamen donatio omnium bonorum præsent. & fu-  
tur. facta mortis causā, quia quolibet tempore à Donatore  
revocari potest Schn. ad §. 2. J. b. t. n. 92. Deinde valet quoque  
Donatio omnium bonorum simpliciter facta, veluti, si quis  
dicat Ich schenke und über gebe dir alle meine Güter. Nam ha-  
bet Testator adhuc de quibus testari queat; ut sunt bona  
futura, ad quæ generalitas ista minimè restringitur l. 7. ff. de  
auro, argento &c. l. 68. §. 3. ff. de Leg. 3. Imo haber etiam nomi-  
na & actiones, quæ tertiam bonorum speciem constituunt.  
vid. Arüm Tepat. Tit. 495. c. 12. Carpzov. Jurispr. F part. 2. Const. 12.  
def. 26.

### Th. X.

Donatiō perficitur vel in scriptis vel sine scriptis,  
& sic iterum vel stipulatione, traditione, vel nudo  
pacto.

In scriptis fieri donatiō dicitur, quando super ea Nota-  
rius Publ. instrumentum conficit, quod juxta l. 25. C. de don.  
continere debet nomen donatoris, & donatarii, nec non rem,  
vel jus donatum. Item testes & eorum subscriptionem. l.  
31. C. 80d. quorum numerus cum non sit expressus duo sufficere  
possunt l. 12. ff. de Testibus Arüm. Tepat. tit. 495. c. 1. Fallit tamen  
quod de subscriptione Testium dictum est, ut subsistat In-  
fra-

1267.

strumentum modo Donator vel alius ejus voluntate subscri-  
psisset. l. 31. C. de don.

Sine scriptis conficitur Donatio i. stipulatione l. 2. & 33. ff. de  
don. quæ quidem olim fuit usitatisima, ita ut nulla Donatio  
nisi stipulatione interposita contraheretur. Ludwell. ad Inst.  
disp. 6. th. 9. 2. Traditione, quando scil. Donatio incipit à tradi-  
tione, eā mente & voluntate donantis ut statim Donatarius  
rem donatam retineat Ludwell. d.l. Wesenb. in w. h. t. n. 6. 3. Nu-  
do pacto §. 2. J. b. t. l. 35. § 5. C. h. t. Arism. Tep. tit. 495. c. 17. Quod  
quidem donandi genus hodie frequentissimum est, ita ut ne-  
que Traditione, neque stipulatione opus sic. Ratio est  
quia donatio ex sola liberalitate procedit l. 1. ff. h. t. Cum igitur  
in arbitrio cuiuscunq; su hoc facere quod instituit, oportet eum vel  
minime ad hoc profilire, vel cum ad hoc venire properaverit, non qui-  
busdam excogitatis artibus suum propositum defraudare, ut elegan-  
ter inquit Imperator in d.l. 35. §. 5. C. h. t. Schneid. ad §. 2. J. b. t. n. q.  
Harppr. b. l. n. 131.

### Th. XI.

Donatio excedens 500 solidos insinuanda est.

Cum donare jure nostro sit perdere l. 7. ff. h. t. & Reipubl.  
intersit ne quis re suā malē utatur §. 1. J. de his qui sūi vel alieni  
juris &c. idcirco Imperator modum imponere voluit immen-  
sis donationibus, & constituere, ut ex aliter non subsisterent  
quam si actis publicis essent insinuatae. Ubi ad meliorem  
Thes. hujus intellectum observandum i. quid sic insinuatio?  
Ea verò nihil aliud est quam descriptio in actis facta, decre-  
to Judicis competentis interveniente Arism. Tep. tit. 445. c. 7.  
2. Probè tenendum quid sit solidus? de quo inter Dd. non sa-  
tis convenit. Hinc meritò consuetudines & statuta cu-  
jusq; loci benè attendenda monet Carpzov. Jurispr. F. part. 2.  
Conf. 12. def. 12. ita ut his deficientibus pro solido, aureus un-  
garicus veniat. Idem Carpz. d.l. Gail. lib. 2. obs. 39. n. 1. Olim itaque  
in donatione 200. solidos excedente, (quam sumnam post-  
ea Imperator in l. 34. C. de ton. ad 300 & in l. pen. §. ult. C. h. t.

*Insinuatio definitio*

*Solidg qd?*

ad 500 solidos restrinxit) de necessitate requirebatur Insinuatio, & adhuc hodie requiritur, ita ut nec per partes ei renunciari possit, nec per talem renunciationem confirmetur donatio. Quia ipsis illis quæ certam solennitatem in actibus hominum inducunt, & sine ea aliquid fieri prohibent nequam renunciari potest l.55 ff. de Leg. i. sed & sanguine juncti ab hac insinuatione non sunt exempti l. 27. C. de don. licet alias causæ, quæ inter domesticos versantur, melius inter privatos parientes componi posse videantur l.4. C. de patr. potest.

## Th. XII.

Insinuatione opus quoque habent Donationes ad pias causas factæ.

Quamvis alias Ecclesiæ & piarum Causarum favor multum sit privilegiatus; in Donationibus tamen circa Insinuationem speciali privilegio minimè gaudent l.34.5. C. de don. Paul Berens in disp. Acad. 5 Them. 2. th. 5. Ludwell. disp. 6. thef. 9. Et hoc inde ne forsan excogitandis fraudibus quæ hic frequentari solent, aliquid contra Justitiam fiat, cum Ecclesia Cultrix, & auxtrix Justitiæ non patiatur aliquid contra Justitiam fieri in se, vel in alterum, uti dicitur in c. un. v. et si clientulus, de alienatione Feudi l. F. 13 Harp. ad §. 2. f. b. t. n. 140. Unica tamen causa excipitur, quæ etiam piissima dicitur in l. 34. C. b. t. nimirum si quis donationem fecerit pro redemptione captivorum, haec quippe insinuatione non eget l. 36. pr. C. b. t. Verum sunt & alias Donationes in quibus insinuatione non requiritur, quales. i. Donatio Imperialis facta ab Imperatore alicui l. 34. C. de don. quia Imperator semper Proceres in comitatu suo habere videtur, quibus presentibus nihil fraudulenter fieri presumitur l. 19. C. de Testam. vid. Gail. libr. 2. obs. 39. n. 25. quod non immerito ad alios etiam Principes inferiores, puta Duces, Comites, Barones, extenditur Schneid. b. l. n. 31. Ludwell. disp. 6. th. 9. Eadem est ratio donationis factæ Principi à privato. Nam etiam ea insinuatione non eget

Auth.

1269.

Auth. item à privatis C. de don. 2. Donatio Magistri militum  
quam confert ex spoliis in benè meritos milites. Hæc fa-  
vore militiæ absq; insinuatione subsistit l.pen. § 1. C.b.t. 3. Do-  
natio facta his quorū domus incendio vel ruinā periit d. l.  
pen. § 2. C.b.t. 4. Donatio propter nuptias l. 34. § 1. C.b.t. Auth.  
eo decursum C. de don. ante nupt. 5. Remuneratoria & Recipro-  
ca quia hæ propriè donationes non sunt E. nec qualitates o-  
mnes eisdem competent, & per consequens nec Insinuatio  
Mys. cent. 4. obs. 75. Arism. Tep. tit. 495. c. 6. 6. Mortis causa do-  
natio actis etiam minime opus habet l. fin. C.b.t. Alias Dona-  
tiones quas insinuare necesse adeò non est vide longā serie  
recensitas à Schneidw. ad §. 2. f. b. t. num. 27. sed q. nunc  
haud incommode si forsan donatio quædam excedat 500 so-  
lidos, num in totum, num verò pro eâ quantitate, quæ exce-  
dit, vitietur? Et posterius placet. Ratio est in Regula vùl-  
gari: utile per inutile non vitiatur quoties utile ab inutili se-  
parari potest l. 9. 20. & 29. ff. de usuris vid. Gail. 2. obs. 5. n. 8. Berens.  
in Dissert. Academ. 5. Them. 2. th. 7.

Df.

### Th. XIII.

Potest autem Insinuatio coram quocunq; Judice,  
etiam cui neque Donator neq; ejusdem bona subja-  
cent, perfici.

Hæc adeò vera sunt ut procedant sive Donatio facta fu-  
rit inter vivos s. mortis causa, sive de bonis mobilibus s. im-  
mobilibus disposita, demonstraturq; 1. per apertissimos tex-  
tus Juris in l. 27. circ. fin. C. de don. l. 30. C. eod. Nov. 127. c. 2. ubi ex-  
pressè ejusmodi donatio coram quocunq; Judice facta, mo-  
dò ordinariam Jurisdictionem habeat, comprobatur. 2.  
Per rationem, quia insinuatio ex mercâ donatoris voluntate  
consistit. Non requirit causæ cognitionem, partis cita-  
tionem, decretum Judicis, & sic per omnia actus voluntariæ  
Jurisdictionis est: quæ autem sunt Jurisdict. voluntariæ, su-  
ne du-



ac'dubio coram quoeverque Judice perfici possunt... *Gail. 2.*  
*obser. 39. num. 28. Berens. in Dissertat. Acad. 5. thes. 4. Ludwell.*  
*disp. 6. tb. 9. De Jur. Sax. tamen aliter se habet, ubi Do-*  
*natio rerum immobilium ejusunque valoris, coram eo*  
*judice, in cuius territorio bona illa sita sunt, fieri debet lib. 1.*  
*Landrecht art. 52. Wesemb. in 20. b. t. num. 6. Schultz. in Syn. Inst.*  
*b. t. lit. B.*

## Th. XIV.

Donatione ita perfecta res confessim transit in  
 Donatarium, eoq; deficiente in heredem: sed de evi-  
 ctione Donator non tenetur.

Procedit hoc maximè si Donatio cœperit à traditione  
*l. 35. § fin. C. b. t.* sed quamvis nec traditio statim intercesserit,  
 nihilominus tamen! Donatarius rei donatæ dominum con-  
 sequi potest, quia tradendi necessitas semper incumbit Do-  
 natori *§. 2. I. b. t.* adeò ut si cunctetur, Donatarius agere possit  
 vel ex stipulatu, si stipulatio intervenerit: vel condicțio-  
 ne ex lege, si nudo pacto & consensu consummata sit Dona-  
 tio *Nov. 162. c. 1. Harp. ad §. 2. J. b. t. n. 151.* Verùm non solum Do-  
 natarius sed & co mortuo, heres ejus rem donatam conse-  
 qui potest *l. 35. §. ult. circa fin. C. de don.* Quando enim Con-  
 tractus, aliquis perficitur, indistinctè consideranda est vo-  
 luntas & mens non tam Contrahentis, quam cuius gratia  
 Contractus initur. Semper autem Donatarius non sibi  
 modò, sed & heredibus suis acquirere intelligitur *l. 9. ff. de*  
*Prob. Arism. Tep. tit. 495. c. 22.* Evictionem, quod concernit,  
 de qua donatorem non teneri diximus, distinctione omni-  
 nò hīc opus est inter Donationem simplicem, & ob certam  
 aliquam causam. In Donatione simplici, de qua tota dis-  
 putatio nostra agit, dicendum indistinctè quod nullatenus  
 evictio sibi locum aliquem vindicet *l. 2. C. de Evict. l. 18. §. fin. ff.*  
*de don.* sive Donatio à traditione, s promissione inceperit;  
 quia donator jus illud donat quod in re est *arg. l. 71. §. fin. de*  
*Log.*

1271

Leg. i. non aliud, ne forsitan ultra jus donatum aliquid adhuc exigendo damno afficiatur, & ita liberalitatis suæ pœnam patiatur quod fieri non debet *Ludivell. diss. 6. th. 10. Berens. in dissert. Acad. 5. th. 8. Arum. in Exercit. Justin. 6. th. 17.* Duo tamen casus excipiuntur in quibus Evictio etiam in Donatione simplici exigitur. 1. si Donator ex dolo quid donasset, cùm scivisset esse rem alienam l. 18. § fin. ff. de don. 2. Si intervenisset stipulatio l. 2. C. de Evict. Harppr. ad § 2. 1. h. t. num. 154. In donationibus vero ob causam, quales etiam sunt Remunerationis & Reciproca, cùm revera ibi Donatario re evicta aliquid abesset, & Donator damno alterius locupletaretur, quod jura fieri prohibent l. 206 ff de R. J. necessario præstanda venit Evictio. Idem de J. Sax. dispositum esse testatur *Carpz.*  
*J.F. part. 2. Const 34. def. 23.*

### Th. XV.

Revocatur Donatio ob insignem gratitudinis la-  
bem commissam à Donatario.

Nihil tam naturale est, quam eo genere quicquid dis-  
solvere, quo colligatum est, inquit *J. Ctus Ulp. in l. 35. ff. de R. 9.* Idcirco quamvis Donatio semel perfecta temere revocari non possit §. 2. J. de don. ita ut, licet quis prætendat Instrumentorum exustationem l. 2. C. de revoc. don. novam rerum donatarum alienationem l. 3. C. h. t. doli patrationem l. 4. C. h. t. aut Principis promulgationem l. 5. C. h. t. nihil tamen efficiat *Wesemb. in π. h. t. n. 7.* attamen revocari potest donatio ob in-  
gratitudinem commissam à Donatario erga Donatorem suum l. fin. C. de revoc. don. *Arism. Tep. tit. 500 c. 12.* atq; hoc æquisi-  
mâ ratione nititur; absurdum enim esset licere res alienas accipere, & irridere frugalitatem donatoris, & damno simul & injuriâ affici ab ingrato donationis acceptore, ut dicitur in l. ult. C. de revoc. don. Nec obstat pactum in Instrumento Do-  
nationis appositum de non revocanda donatione ob ingrato

C

Dona-



Donatario; est enim hoc contra bonos mores quod in jure prohibitum l.6. C. de p. auctis Harpp. ad §.2. f. h. t. n. 165. Datur igitur jus revocandi donationem, sed soli Donatori, non ejus heredibus datur l. ult. C de revoc. don. quia ejusmodi actio tendit ad vindictam, sicuti actio injuriarum, quæ nunquam heredibus datur § 1. f. de perpet. & temporal act. E. nec h. l. vide latius Hann. l. 2. variar. resolut. tract. q. quest 9. Ludwell. disp. 6. ib 10. Ast quibusnam ex causis ingratitudinis, cum variè ista committatur, Donatio revocabitur? Expressæ sunt illarum 5 in l. fin. C. de revoc. don. Hinc an præter has aliæ etiam, similes vel majores, ob quas æquè donatio revocetur, admitti debeant, passim inter Dd. disceptatur. Nos negamus, quia Imperatoris mens clara est, nec ideo invertenda. Patet id maximè ex particula exceptiva tantummodo quæ certè omnes alias causas, ob quas revocari posit Donatio, removet Hann. l. 2. var. resolut. tr. 4 quest 8. Harp. d. l. n. 157.

## Th. XVI.

Ex supervenientia librorum revocari quoq; potest donatio.

Nam ex conjectura pietatis paternæ præsumitur, donatorem non fuisse donaturum si nascituros liberos cogitasset, itaq; eâ lege videtur donâsse, si non liberi nascentur, vel ut revocetur donatio, si liberi extiterint. Mys cent. 5. obs. 63. Arism. Tep. tit. 500 c. 12. Non obstat quod pleriq; Dd. objiciant d. l. 8 C. de revoc. don. specialem esse & ad solius patroni & Liberti personam restrictam Resp. Datum est hoc revocandi beneficium Patrono, non quatenus Patrono, sed quatenus in eo paternus & beneficus erga libb. affectus inest, qui sine dubio proprium sanguinem alieno vult anteponere l. 30. C. de Fidei. commiss. atque hic idem affectus non in patrono solùm, sed & in aliis quibuslibet militat. Hinc potius dicendum quoties ratio legis generalis est, toties etiam legem ipsam esse generalem: idem an non jam de d. l. 8. C. de revoc. don. subsumi possit,

1273.

posit, dubium haud cuiquam videbitur. Myns.d.l. Berens. in  
dissert. Acad. 5. tb. 9. Hunn. variar. resol. lib. 2 tr. 4. quæst. 10. Treutl.  
vol. 2. disp. 19. tb. 7. L. E. Revocatur autem ista Donatio non, ut  
quidam volunt, quoad legitimam ( secus in Donatione inof-  
ficiosa l. 1. 2. seqq. C. de inoff. don. Ludwell disp. 6. tb. 10. ) sed in so-  
lidum: idq; ob expressa Imperatoris verba in d.l 8. C. de revoc.  
don. ubi scribit: totum, quicquid largitus fuerit pater ad eum re-  
vertatur. Quod extenditur, ut, licet donatio facta fuerit Eccle-  
siæ revocari tamen in solidum nihilominus posse Myns. cent. 6.  
obs. 95. Arism. Tep. Tit. 500. c. 12. Sed quid si liberi postea nati ob-  
ierint, anné reconvalesceret Donatio? N. Quia indistinctè.  
d.l. 8. loquitur, bona scil. esse mansura in arbitrio ac ditione  
patris Harp. b. l. n. 213. Neq; Pater unquam natis jam liberis  
in horum præjudicium beneficio d.l. 8. C. de revoc. don. renun-  
ciare potest, Nemini enim jus alteri quæsิตum auferre  
conceditur, l. 11. ff. de Reg. Jur. Et quilibet favori suo non  
alieno renunciare potest l. pen. C. de pæct. At si Pater beneficio  
revocandi donationem renunciaret, non de suo, sed libb. fa-  
vore disposeret, utpote quos solos concernit, ut natis iis Pa-  
ter revocare queat bona omnia donata d.l. 8. C. de revoc. don.  
Gail. lib. 1. obs. 49. num. 13. Hunn. var. ref. tr. 4. quæst. 11. Et hæc o-  
mnia quæ de simplici donatione ob supervenientiam libb.  
revocandâ dicta sunt minimè locum habent in Remunera-  
toria & Reciproca vid. Carpzov. Jurisprud. F. part. 2. const. 12.  
def. 34. Schneidw. ad S. sciendum 7. b. t. num. 11.

### Th. XVII.

Revocari possunt Donationes per Donatorem vel  
Rei vindicatione vel Condictione.

Et hæc quidem duæ actiones ita competit Donatori ut  
iis possit uti, sive donationem repetat ex commissâ ingratia-  
tudine s. ex supervenientia libb. De Reivind. textus est in l. 7.  
C. de revoc. don. Hac enim actione quando experitur Dona-  
tor,

tor, jam tūm rei donatæ consecutus est dominium: quia ut primum committitur ingratitudo, vel ut primum nascuntur liberi, confessim totum quod donatum est revertitur in Donatoris arbitrium, ut dicitur in l. 8. & 10. C. de revoc. donat. E. qui habet dominium, habeat quoque necesse est actionem hanc vindicatoriam adversus rei possessorem l. 23. pr. ff. de Reivind. Schneid. ad §. 1. f. de xcl. num. 61. seqq. de Conditione res etiam minimum habet dubii. Nam illud inter Donatorem & Donararium semper tacitè videtur actum, ut Donatio tām diu firmiter consistat, quām diu eorum aliquid non sequatur ob quod revocatio institui posse. Unde ex tacitā hāc conventione nascitur obligatio quæ Conditionem producit l. 25. ff. de O. & A. Wesemb. in w. de Conditione ex lege num. 1. Et in totum vid. Arism. Tep. tit. 500. c. 13. Harpp. ad §. 2. f. h. t. n. 218. Hillig. in Don. lib. 14. c. 32. Lit. B.

## DEO SOLI GLORIA.




**I**N publicum Te s̄tit IngenI quoq;,  
Præclarus ardor, atq; nobilem facit  
DONATIONE scripto aratā publicoſ,  
JELTSCHI erudite, gnave Lyta Jurium;  
Adplaudo doctioribus conatibus  
& Patriæ inde gnatulor nostræ bonum  
quod de Labore & IngenI tui bonis  
Viadrina spondet, & auguratur Leucoris.

Solertissimo Jurium cultori, Amico colendo  
scrib. festinanti calamo gratul.

**M. Adamus Ezlerus SiL.**

00 A 6414





**FarbKarte #13**



B.I.G.

DISPUTATIO JURIDICA

*De*

# DONATIONIBUS INTER VIVOS,

*Quam*

Divinâ gratiâ adspirante,  
Magnifico Amplissimoq; JCtorum Ordine  
in almâ Leucoreâ approbante,

*Sub  
UMBONE*

*VIRI Nobilis, Consultissimi  
Excellenissimi*

**DN. HENRICI COSELII,**  
J.U.D. Prof. Publ. Curiæ Electoralis, Scabinatus &  
Facultatis Juridicæ Assessoris gravissimi, Præceptoris & Promotoris

Sui perpetue honoris observantiaq; cultu suspiciendi,

*Publicæ, placideq; ventilationi subjicit*

**LUCAS Teltsch/**

Mega-Tschirnens. Sil..

In Auditorio JCtorum

ad diem Januar.



*WITTEBERGÆ*

Excudebat Johannes Röhnerus Acad. Typogr.

Anno M DC L.

XX

